C

FORMA.

Foliis & caule Portulacæ ſimilis herba Telephium. Alas binas in ſingulis foliorum geniculis inhærentes habet. Ramuli à radice ſeni ſeptenue prodeunt, referti foliis cœruleis, craſsis, glutinoſis, carnoſis: flores illi lutei, uel albi, uel purpuraſcentes: radix ima, quod Dioſcorides omiſit, innumeris tuberibus ſcatet. Non eſt autẽ cur diuerſum Telephiũ hoc nomine ab ea herba, quam herbarij hodie Craſſulam maiorem nominant, ſuſpicemur, cum omnes reliquæ notæ à Dioſcoride cõmemoratæ, illi adamuſsim conueniant. Et ſolenne certè eſt Dioſcoridi ut multas notas, in his potiſsimũ herbis quæ ipſe non uidit, atqueadeo ex aliorũ fide pingit, easq; maximè quidem neceſſarias omittat, & ſilentio tranſeat. Quibus etiã accedit locus natalis, & facultates Telephij, quæ eædem ſunt cum iis quæ Craſſulæ maiori recentes herbarij adſcribunt. Sunt qui alterum acetabulũ eſſe putent, quorum ſanè ſententiam non admodum abſurdam eſſe iudico.

LOCVS.

Naſcitur inter uites, locis cultis & incultis humidis.

TEMPVS.

Vere ſtatim proſilit, Iulio autem & Auguſto menſibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Telephiũ exiccat ordine ſecundo intenſo, aut certè principio tertij, nõ tamen inſigniter calida, uerum in hoc forſan quiſpiam ipſum primi eſſe ordinis cenſeat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Folia ſenis horis illita, albas uitiligines ſanant: ſed oportet poſtea hordeacea farina illinere locum. Quinetiã alphos tollunt cum aceto in ſole inuncta. Sed ubi inaruerint, abſterguntur.

D

EX GALENO.

Telephiũ detergendi & exiccandi facultate eſt prædituũ: proinde ad putrida ulcera conuenit, & leucas & alphos cum aceto ſanat.

EX PLINIO.

Illinitur lentigini, & cum inaruit teritur. Illinitur & uitiligini, ternis ferè menſibus ſenis horis noctis aut diei, poſtea farina hordeacea illinitur. Medetur & uulneribus & fiſtulis.

APPENDIX.

Recentiores herbarij ſua Craſſula maiori in curandis uulneribus, & ſiſtendo ſanguinis profluuio utuntur, ut eandem eſſe cum Telephio uel hoc ſaltem nomine nemo dubitare debeat. Magnam autem efficaciã habere in internis potiſsimũ uulneribus & ulceribus, mirificeq; hernioſis prodeſſe ijdem tradunt.

DE TRINITATIS HERBA.

CAP. CCCIX.

NOMINA.

Iouis flos. Herba Trinitatis unde dicta. Iacea.

VO nomine priuatim planta hæc Græcis aut Latinis appellata ſit medicis, ignorare me fateor. Conſtat tamen Violæ inodoræ genus eſſe, & mea quidem ſententia Iouis florem. Vulgus à triplici colore floris, herbam Trinitatis nominat. Sunt qui laceam, & herbam clauellatã appellent. Germani Dreyfeltigkeyt blůmen/& Freyſchamkraut uocant.

FORMA.

Herba hæc folio eſt initio rotundo, per ambitum ſerrato, proceſſu temporis oblongiore, cauliculo triangulo, intus cauo, leuiter ſtriato, ex interuallis geniculato, prodeuntibus ex alarum ſinu pediculis longis, in quibus ſummatim elucent flores figura

HERBA TRI
NITATIS.